



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 122. Synodi Legatus ab Amioto salutatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](#)

gem neutiquam esse exasperandum per Sæcul. XVI.  
hoc, quod ejus Ministri nec audiantur, A.C. 1551.  
nec illius literæ recipiantur.

## §. CXXII.

*Synodi Legatus ab Amioto salutatus.*

Altera post Sessionem die secunda Septembris Amiotus Legatum salutatum ibat, ac prætermissum a se reverentiæ officium excusabat, caussatus, sibi disertis verbis fuisse inhibitum, ne usque ad Sessionis tempus adventus sui caussam cuiquam manifestaret. Legatus eum perbenigne excipiens hæc Amioto respondit: „Dispicet mihi dissidium exortum inter Papam, & Regem, cum vero Pontifici, cuius me servum profiteor, quamplurimis titulis obstringar, ea etiam, quæ eidem magis conveniunt, obsequia præstare teneor, hacque ratione contra Regem tuum agere deberem, nisi continuo studio componendis dissensionibus intentus, salva juramenti mei religione Regis quoque subditis omni, quo possum, modo deservire conarer. Ad hæc reposuit Amiotus: Hæc ipsa auctoritas, qua apud summum Pontificem vales, necnon sublimis illa existimatio, quam hic idem de tuis meritis concepit, mihi omnino pollicetur, præter te nullum alium ad revocandam concordiam magis aptum esse, cum pro

A a 2 „utri-

**Sæc. XVI.** „utriusque partis commodo adeo pro-  
**A.C. 1551.** „pensum geras animum. Mox Legatus  
 „hæc subjunxit: Sæpius ad Papam per-  
 „scripsi, verum literæ sunt vox muta, si  
 „autem ipsus Romæ præfens adfuisse,  
 „rem ad apertam indignationem mini-  
 „me deductam fuisse arbitror: de cetero  
 „certus sis, summum Pontificem Regi  
 „tuo minime infensem esse, hinc ipse  
 „etiam Rex, cum a sedis Apostolicæ o-  
 „bedientia nunquam se defecturum pro-  
 „fiteatur, nec summo Pontifici, qui il-  
 „lius caput est, venerationem denegare  
 „poterit; Sedes enim Apostolica, &  
 „Pontifex duo sunt, quæ ab invicem se  
 „jungi nequeunt, longe aliter, respondit  
 Amiotus, quantum in me est, sentio; con-  
 tingere enim posse arbitror, quod Papa  
 quidam sit vel Schismaticus, vel hæ-  
 reticus, vel furiosus, tum enim affirmari  
 haud valet, quod idem sit Papa, &  
 Sacra sedes. Verum circa hunc articu-  
 lum controversia haud ulterius urgeba-  
 tur. (")

Post-

(") Nec mirum; Legatus enim tam futilem  
 Amioti responsionem objecta crassa illius igno-  
 rancia facile refellere potuisset: De cetero hæc  
 Legatum inter, & Amiotum re ipsa fuisse propo-  
 fita, minime credas Lector benevole, nam nil nisi  
 luxuriantis, atque in commentis fœcundissimi

in

Postmodum Amiotus Legatum ro-  
gabat, quatenus per Synodi scribam, Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
duosque Notarios, quos ipsus secum ad-  
duxerat, rerum in Sessione gestarum do-  
cumentum conficeretur, aut saltem ei-  
dem scripto consignarentur eadem ver-  
ba, quæ eidem nomine Synodi per Pro-  
motorem fuerant redditæ, eo fine, ut  
ea actis ad Regem deferendis inseri, ipse  
vero suam solertiam Regi testatam face-  
re posset: (\*\*\*) Verum repulsam tulit,  
Legato eidem respondentे, quod id so-  
lus efficere haud posset, & hanc in rem  
potius Patres essent convocandi, qua-  
propter haud ægre ferat, quod ei in  
omnibus pro voluntate sua in ipsum pro-  
pensa obsequi non valeret. Quapropter  
Amiotus Legatum valere jussum roga-  
bat, ut ipsum in servorum suorum nume-  
rum reponere vellet: Altera die Amio-  
tus Venetias reversus est, ut illis, a  
quibus Tridentum mittebatur, legatio-

A a 3 nis

ingenii partus est, quo Continuator noster ab-  
que ullius scriptoris testimonio latens suum ve-  
nenum, atque imbibitam de Papæ auctoritate  
doctrinam effundendi occasionem fuisse nactum  
gaudebat.

(\*\*\*) Hæc eadem Continuator in §. præce-  
denti referebat, nunc vero ititem repetit, per-  
inde ac si maximi momenti res esset, ad unius  
oppositionem non illico genua flecti.

Sæcul. XVI. nis suæ rationem reddere posset: Insu-  
A.C. 1551. per totam rei gestæ seriem ad Morville-  
rium libellorum supplicum Magistrum  
perscripsit, libero prorsus calamo usus:  
Porro in hac epistola istum Virum roga-  
bat, ut ipsi significaret, an Rex desi-  
deret, ut vel ipse, vel alias proximam  
accederet Sessionem, responsum a Sy-  
nodo ad Regis literas dandum receptu-  
rus. His Amiotus ea, quæ sequuntur  
subjunxit: Si ego ad Sessionem eandem  
sum decernendus, tunc mihi videtur,  
omnium eorum, quæ gesta fuere, fi-  
dem mihi esse transmittendam, de ce-  
tero autem rebus longe melius consul-  
tum iri existimo, si nullus omnino ad  
hanc Sessionem mitteretur, cum oportet  
quasi litem inchoare, ac totius causæ  
cognitionem aggredi, tandemque præ-  
stolari responsum a Papa, & Mendoza  
Caroli V. apud sedem Apostolicam Ora-  
tore fabricatum, eo potissimum nomine,  
quod Regis epistola Tridenti perfecta ne-  
quaquam sit protestatio ad Synodum di-  
recta, sed duntaxat quædam approbatio  
illius oppositionis, quam Rex per Ther-  
mum Oratorem suum Romæ coram Pa-  
pa, & Cardinalium Collegio interposue-  
rat; qua autem ex caussa id factum fue-  
rit, adhucdum satis haud cognitum est.  
Data erat hæc Jacobi Amioti epistola  
Venetiis die octavo Septembbris.

§. CXXIII.